IN Nomine Sanctissimæ & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Nouerint vniuersi & singuli hoc præsens publicum transumpti instrumentũ visuri, lecturi, pariter & audituri, quod nos Gregorius Narus Prothonotarius Apostolicus vtriusque signaturæ S.D.N. Papæ Referendarius, Curiæque causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ iudex ordinarius. Ad instantiam Illustr. D. Billisarij Periculi omnes & singulos sua communiter, vel diuisim interesse putantes, eorumque procuratores, si qui tunc erant pro eisdem advidendũ decisiones inferius descriptas in causa Concheñ. & Carthagineñ. decimarum sacræ Romanę Rotæ produci, recipi, & admitti, & postquã productæ fuerint videndum illas transumi exemplari, & in publicam & authenticam formã redigi, auctoritatéque & decretum nostrum, & dictæ Curię interponi, ac dicendum & allegandum causam, si quam haberent rationabilem, quare præmissa fieri non deberent per Audientiam literarum contradictarum S.D.N. Papę, vt moris est, citari fecimus & mandauimus ad diem infrascriptam. Quo termino adueniente hora Audientiæ causarum solita & consueta, comparuit in iudicio corã nobis dictus D. Bellisarius, citatorumque non comparẽtium contumatia incusata, in eorum contumatiam pręsentes decisiones, sanas siquidem & illesas, ac omni vitio & suspicione carentes exhibuit, illasque transumi exẽplari, ac in publicam formã redigi mãdare, auctoritatéque iudiciariã, pariter & decretum desuper opportunum per nos interponi instãter petijt. Nos tunc Gregorius Narus, iudex & Auditor pręddictus, dictos citatos nõ cõparentes, meritò id exigente iustitia contumaces reputauimus, & in eorũ cõtumaciam dictas decisiones ad manus nostras recepimus, illasque vidimus, tenuimus, legimus, & diligenter inspeximus. Et quia illas sanas, integras & illęsas, ac omni prorsus vitio & suspitione carere inuenimus. Ideò ad dicti D. Bellisarij instantiam decisiones pręd ictas per infrascriptum nostrum notarium transumi exẽplari, ac in publicam formã redigi fecimus & mandauimus. Volẽtes, & auctoritate dictę nostrę Curię decernentes, quod pręsenti nostro trãsumpto, cum decisionibus eisdem auscultato, collationato, & concordato de cętero in antea, tàm in Romana Curia, quàm extra, vbicumque locorum in iudicio & extra stetur, illique detur talis & tanta fides, qualis & quanta dictis decisionibus originalibus data fuit, & adhibita, daturque & adhibetur, seu daretur, & adhiberetur si in mediũ exhibitę forent, vel ostensæ, vel aliàs quomodolibet pręsentatę. Quarũ decisionum tenor talis est, vt infra, videlicet.

Concheñ. decimarũ, R.P.D. Manzanedo fuit in hac causa resolutũ, die 23. Iunij 1614. exceptis gregibus, horto, & expensis sentẽtias in hac causa latas esse in reliquis conformes, cùm ad soluendum decimas gregũ, Hospitale fuerit cõdemnatũ solùm per duas sententias Rotales. Vnde quoad dictos greges proposui dubiũ. An dictę sententię essent confirmandæ vel infirmandæ, & Domini respõderũt quoad greges nutritos à fratribus pro vsu Hospitalis illas esse inrfimãdas, quoad aliosverò confirmandas. Et mouebantur, quia licet Religiosi, quales hodie sunt fratres Ioãnis de Deo administratores ipsius hospitalis non teneãtur soluere decimas de nouualibus suis, hortis, & animalibus, per text. in cap. ex parte, il primo, de decim. Tamen hoc procedit in his tantum quę deseruiunt pro vsu Monasterij, vt expresse declarat ibi Abb. nu. 3. Ioann. de Annan. num. 2. Ancharr. numer. 2. Rebuf. de decim. quęst. 14. circa fin.

fin. Et in animalibus, quæ ipsimet Religiosi nutriunt suis sumptibus, non autem in illis, quæ dant alijs nutrienda & tenenda, Clem. 1. vbi glos. verb. animalibus, & verbo tenen. de decim. Abb. in d. cap. ex parte, in fi. & ibi Anch. n. 2. vers. istud etiam, & Enric. Boic. n. 2. vers. quod intellige. Butr. in 3. nota bil. Rebuf. vbi sup. n. 57. dicit, quod si dentur alijs tenenda, & custodiẽda, requiritur quod vespere reducantur ad Monasterium.

Quibus non obstat quod dispositio d. c. ex parte sit reuocata per text. in c. nuper, eod. tit. quia ille text. loquitur quoad decimas prædiales, non autẽ greges, circa quos nihil innouauit, vt expresse sentit Butr. in d. c. expresse, prope fin. vers. relinquetur ergo.

Minus facit tex. in c. 2. de Eccles. ædific. in quo leprosi non tenentur soluere decimas, nec de hortis, nec de nutrimentis animalium suorum, quia quoad hoc, vt sit locus exemptioni, de qua in illo tex. leprosi debent communiter viuere, & simul congregati extare, & ex illius lectura apparet, quod non verificatur in Hospitali de quo agitur, in quo licet curentur etiam leprosi, quando ad illud accedunt. Tamen adsunt etiam alij infirmi laborantes cæteris morbis, neque ex eo quod hi leprosi retinentur separati ab alijs, videtur construere corpus separatum, quia id fit ad euitandum contagium, vnde cum priuilegium d. cap. 2. sit speciale in leprosis, non videtur extendendum ad huiusmodi hospitale commune leprosis, & alijs infirmis.

Quo verò ad alios greges placuerunt DD. rationes, & fundamẽta deducta in decisionibus Reuerend. Attrebateñ. 10. Maij. 1604. & R. P. D. mei Pamphilij. 8. Martij 1610. in hac causa factis, & ideò exceptis dictis gregibus nutritis per fratres pro vsu Monasterij. Quoad alios fuit resolutum pro confirmatione sententiarum Rotalium.

Carthagineñ. decimarum R. P. D. Dunzotto, die Lunæ 16. Februarij 1615.

Rota censuit RR. Patres Societatis *Iesu* non teneri ad solutionem decimæ seu vigesimæ de noualibus, quæ ipsimet proprijs manibus, & sumptibus excolunt, cum enim non possit controuerti ipsos esse Religiosos, sequitur ipsos non esse obligatos soluere decimas de noualibus, cum omnes Religiosi, ex dispositione c. ex parte il primo de decimis, fuerint exempti, quod priuilegium indistinctè ad omnes Religiosos & Monachos extenditur, licet Adrianus Pontifex in d. cap. ex parte vtatur verbo, *fere*, tradit ibidem glos. & in c. commissum, in verb. Monachos, ad tit. Hosti. in d. c. ex parte, n. 4. Butr. n. 9. Anchar. n. 3. Rebuf. de decim. q. 14. n. 45.

Nec obstare visum fuit quod dicitur dictos Patres vigore Breuis fœl. rec. Leonis XI. fuisse coactos soluere vigesimam loco decimæ, *Quorumcumque locorum, & bonorum quæ nunc possident quomodocumque, & vndecunque ad eos peruenerint, aut peruenire poterunt, &c.* Cum verbis, & clausulis amplissimis, sub quibus comprehendi noualia, tradit Socin. cons. 297. n. 5. lib. 2. fuse Gutier. cons. 5. n. 4. qui multos cumulat stante, maxime quod in d. Breui leguntur derogationes amplissimæ quibusuis priuilegijs, etiam per viam legis generalis, & statuti perpetui, ex quo infertur derogatum huic priuilegio concesso dictis Patribus Societatis Iesu, tanquam Religiosis, cùm dispositio Breuis declarari debeat ab ipsa derogatione. Surd. cons. 453. num. 25. vers. id ipsum, & num. seq.

Responderunt enim Dñi verba illa generalia restrictiua per alia subsequentia verba, *de quibus de iure, vel consuetudine decimæ solui solent*, quas

mandat

mandat Papa, *illis Ecclesiis solui, quibus alioquim circumscriptis priuilegijs dictæ Societatis persolui deberent,* vt legitur in dicto Breui, & per consequens nullo modo comprehendi possunt decimæ ex noualibus, quas etiã dicti Patres, tanquam Religiosi, circumscriptis eorum particularibus priuilegijs, de iure communi persoluere non tenentur, nec etiam de consuetudine, cum frustra in ea fiat fundamentum nisi probetur, c. 1. & ibi Doct. de consti. in 6. l. 1. & ibi glos. & Doct. C. quæ sit longa consuetudo. Ioa. Fab. in c. ex nõ scripto, num. 20. instit. de iure nat.

Considerauerũt etiam Domini, mentem fuisse Papæ sopiendi omnes differẽtias & lites natas inter Ecclesias, de quibus fit mentio in dicto Breui: & dictos Patres Societatis Iesu, vt ex integra Breuis lectura apparet, ex quo colligitur finalis causa & intentio disponentis, l. fin. at ibi not. Bald. nu. 4. in 1. opposit. ff. de hæred. instit. Certumque est nullum verbum in toto processu in Rota exhibito, scripturisque productis coram Illustrissimis Cardinalibus, à Summo Pontifice deputatis legi de prætensione noualium, sed solùm inter partes ortam fuisse controuersiam super solutione decimarum, à qua vigore priuilegiorum particularium dicta Societas *Iesu* exemptam se asserebat, sicque non est verisimile voluisse Summum Pontificem obligare dictos Patres ad solutionem noualium, quæ à dictis Ecclesijs non controuertebantur, cum peterent solùm integram solutionem decimarum, sub quo generali verbo regulariter non comprehenduntur noualia, cap. cum contingat, cap. tua, de decim. Ex quibus concluditur, verba illa generalissima comprehensa in Breui debere intelligi respectu quantitatis eorum, ex quibus soluenda sit de iure decima, & respectu modi acquisitionis, siue per donationem, emptionẽ, vltimam voluntatem, & similia, non autem extendi ad obligationem eorũ, ad quæ de iure non tenebantur, nisi fuerint expressa: quando enim verba generalia possunt se referri ad aliquid, salua ratione recti sermonis nunquam trahuntur ad incogitata. Surd. decis. 176. & 217.

Quoad generales derogationes attinet, placuit responsio data indubitati iuris esse, dũ lex, vel Princeps derogat simpliciter priuilegijs vniuersalibus, nulla facta specificatione, id non intelligi de ijs, quæ sunt inserta in corpore iuris, glos. in authen. qua in Prouincia, in vers. illic, in fi. C. vbi de crimin. agi opor. quam ibi extollit & sequitur Bart. in 2. oppos. Bald. vers. tertia solutio, latè Felin. in c. 1. n. 12. & in c. nonnulli, n. 26. de rescript. Fuit dictum in vna Romana successionis de Girona. 23. Iunij 1574. coram Robusterio, difficilius siquidem tollitur quod est iuris communis, quã quod est iuris specialis, l. ius militis. §. militia missus. ff. de testam. milit.

Ex quibus patet responsio ad id quod dicebatur pro parte Capituli, Papã dum exemit à solutione decimarum dictos Patres quoad hortos, viridaria, & animalia eorum, à quibus iam erant exempti, ex dispositione dict cap. ex parte, sicut Religiosi, voluisse ipsos obligare ad solutionem noualiũ, quia exceptio firmat regulam in contrarium in non exceptuatis, trahi enim debent ad eosdem ex paritate rationis. Abb. in c. cum dilecta, nu. 7. de confirm. vtil. vel inutil. cum multis alijs per informantes adductis. Quorum responsiones placuerunt Dñis, cum semper firmum remaneat hoc fundamentum, non posse dici illud Breue abstulisse ius quæsitum dictis Patribus, omnibus Religiosis cõcessum, & in corpore iuris insertum, nisi appareat de expressa, non enim tacita sufficit ex supradictis Pontificis voluntate derogandi dispositioni dicti cap. ex parte.

Verum

Verum quia pro parte Capituli dictum fuit, sub prætextu noualium posse dictos Patres nimium dictis Ecclesijs præiudicare, etiam in exactione vigesimæ loco decimę inferre. Ideò DD. expresſè declararunt, dictos Patres non posse prætendere exemptionem, nisi in noualibus, de quibus loquitur tex. in dict. cap. ex parte, & in c. quid per nouale, de verb. signif. cui priuilegio omnibus Religiosis concesso nō fuit derogatum in dicto Breui Leonis XI. cuius executioni in reliquis nullum præiudicium afferre voluerunt.

Et ita (vtraque parte informante) fuit resolutum.

Super quibus omnibus & singulis præmissis, tanquam rectè & legitimè gestis, auctoritatem pariter, & decretum dictæ Curiæ, ac nostrum, duximus interponendum, & interposuimus, prout interponimus per præsentes. In quorum omnium & singulorum fidem has præsentes fieri, & per infrascriptum Curiæ nostræ Notarium subscribi, sigilliquè Reuer. Cameræ Apostolicæ, quo in talibus vtimur iussimus & fecimus impressione muniri. Datum Romæ ex ædibus nostris, anno a Natiuitate D.N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, Indictione nona, die verò quinta mensis Iunij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Vrbani, diuina prouidentia Papæ Octaui, anno eius tertio. Præsentibus DD. Ioanne Baptista Vatello, & Bernardino Pasquetta Connotarijs testibus ad prædicta omnia & singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis. Camillus Melleius Iud. Ego Cæsar Columna Romanus causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Notarius de præmissis rogatus, præsens transumpti instrumentum subscripsi & transumptaui requisitus.

Hoc transumptum verè & fideliter deductum & correctū ego Doctor D. Franciscus Gutierrez Zorrilla sua Sanctitatis notarius, & publicus Appostolicus, auctoritate Apostolica, & Illustrissimi & Reuerendissimi D. D. Ioannis Baptistæ Pamphilij Patriarchæ Antiochen. Nuntij & Collectoris generalis Apostolici in Hispaniarum Regnis, & causarum Nunciaturæ Secretarius, correxi & cōcordaui cum suo originali quod ad posse Patris Ioannis Camacho Societatis Iesu restitui. Matriti die mensis anni millesimi sexcentesimi vigesimi septimi.